

Ne quis verò obtendar, scripta Prophetarum
& Apostolorum nimis *aut prolixa aut*
difficilia esse: anticipat *Catechesis*; & ne
quis in Scriptura ceu densa sylva aliqua
oberret, credendorum summam, Sym-
bolo Apostolico comprehensam, propo-
nit & exponit.

Quo de posthac *οὐδὲ χριστῶς* dicturi, jam gene-
ralia quædam recognoscemus.

I. *Quid de Symbolo Apostolorum sen-
tiendum.*

II. *De distributione ejusdem.*

III. *De summo mysterio S. Triados.*

D E I.

Symbolum Apostolicum summa est omnium
credendorum de Deo, ejusque Ecclesia:
cuilibet Christiano scitu & creditu ne-
cessarium; si piè quidem vivere & beatè
mori satagit.

Concinnata enim comprehensio quædam est
præcipuorum operum & beneficio-
rum Dei, promissionumque Evange-
lii in Christo nobis virtute & effica-
citate S.S. factarum: quò respicien-
dum finem fidei reportaturis. 1. Petr.
1, v. 9.

S. Athanasio enim teste: quicumque vult sal-
vus esse, ante omnia opus est, ut
teneat Catholicã fidem: quam
nisi quisque integram inviola-
tamq; servaverit, absq; dubio in
æternum peribit.

S Y M B O L O

*Ex altero
membro qua-
stionis 22.*